



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorvm**

**VD16 B 5530**

Prima Conclusio. Maleficiatum hominem quandoq[ue] nemo curare potest,  
nisi eiusdem artis sit peritus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

**N**OTANDVM, quod morbi, aut infirmitates dupliciter inferuntur à maleficis. Aut aliquando ipsi malefici per se rebus naturalibus & venenosis morbum inferunt. Aut ipsi solùm adhibent signa rebus, aut verbis, quæ nullam habent efficaciam naturalem ad effectum, sed tantum adhibito signo Dæmon operatur inuisibiliter, circa corpus hominis, aut bestię, cuius nocumentum maleficus intendit, applicando actiua passiuis.

Deinde aduertendum, ex malleo maleficarum Syluestro, Grillando & alijs, quod quædam maleficæ nocēt, sed non curant: quædam verò è conuerso curant, sed non nocent: quædam verò vtrumq; præstant.

*Prima Conclusio. Maleficiatum hominem quandoq; nemo curare potest, nisi eiusdem artis sit peritus.*

**P**ROBATVR. Malefici frequenter in inferis morbis & calamitatibus vtuntur Dæmonis ministerio, qui cùm sit callidissimus & perspicacissimus physicus, nouit talia adhibere, quæ ars medicorum ignorat. Quare in cap. Nec mirum. 26. q. 5. etiam reprobantur remedia & medelæ, quas ars medicorum non commendat. Necessè ergo est, vt eadem arte mala huiusmodi tollantur, qua illata sunt. Quia nihil est tam naturale, quàm eodẽ genere vnũ quod-

quodq; dissolui, quo colligatum esse reperitur. ff. de regul. Iuris. L. Nihil tam naturale. & eiusdem est soluere, cuius ligare.

Secunda Conclusio. *Quando agritudines aut infirmitates introducuntur à maleficis, causis merè naturalibus, veneno, aut venenosis potionibus, ut plurimum possunt curari remedijs naturalibus, & medicorum arte.*

QVIA quæ mediantibus causis naturalibus proueniunt, mediantibus contrarijs eiusdem ordinis tolli possunt. Dixi, ut plurimum: quum ex accidenti & circumstantijs adiunctis contingere possit, quod ars medicorum non sufficiat, utpote si venenum fuerit fortissimum, ita ut statim totius corporis dispositionem inuasit; aut si nimis diu expectatum sit, antequam medicorum cura adhibita: aut si subiectum veneficijs infectum, ita sit debilis complexionis, quod medicinas usq; ad debitam operationem retinere nequeat. Quia ut Poëta cecinit.

*Non est in medico semper, releuetur ut ager:  
interdum docta plus valet arte malum.*

Atq; hoc etiam perpendendum, quod nostri malefici & sagæ frequentissimè vtuntur venenis mirificè à Dæmone præparatis & porrectis, quæ sine dubio efficacioris sunt operatio-

tio-